

†Adm. R. P. Restitutus Alvarez Palacios (1887-1955)

(Prov. Hisp.)



Huius dilecti ac benemeriti confratris effigiem eo vel magis in *Analectis* perennare volumus, quod parum abfuit quin primo huius ephemeridis tempore ipsam moderator regeret. Hoc autem si accidisset, nos heu! privasset glorioso hodierno per fere 22 annos Analectorum vexillario.

Ortum novit P. Restitutus in pago Revilla del Campo (*Burgos*) die 9 Iunii a. 1887, recurrente solemnitate Corporis Domini, perinde ac si hoc facto praesagium includeretur infantem, sub luce eucharistica editum, deinceps quoque altaris flamma perustum iri. Nihil pariter mater optima dulcius habuit quam huic suo inter alios novem novissimo filio devotionem erga tantum Sacramentum indere. Immo, cum alia eiusdem familiae membra sodales Instituti nostri iam factos vel faciendos cerneret, Beniaminum etiam, cordi suo carissimum, vix annos 12 emensum Iuvenatui Spinensi laetitia christiana concedidit.

In studiis sive inferioribus sive superioribus aut in Novitiatus tyrocinio nihil est quod immoremur nisi ut aperte connotemus nostrum Studentem duas potissimum prae se tulisse qualitates: in humaniores nempe litteras claram propulsionem atque rebus Instituti nostri sinceram applicationem. Hinc, sacerdotio die 8 Septembris a. 1911 auctus, munus suscepit docendi rhetoricam et praesertim superioris latinitatis arcana Asturicae et Spini, donec a. 1918 oculorum acie hebescente a scholis recedere coactus fuit. Qui ipsius magisterio fructi

sunt, memoria gratissima fatentur se non solum Lectorem novisse eloquio ciceroniano et metrica classica praestantem, verum paedagogum etiam abnegatione et patientia locupletem, ad labores strenue verbo atque exemplo cohortantem, paterna erga alumnos intuitione semper actum nec quandoque a facetiis abhorrentem. Hanc linguae latinae et artis metricae cognitionem, nedum respueret, ut passim fit, confovere decursu vitae perrexit eamque arrepta opportunitate in medium protulit, v.gr., cum parum abhinc annis strophis sapphicis iubilaeum Exc.mi. Ismaelis Perdomo, Archiepiscopi Bogotensis, non sine maximo eiusdem Praesulis gaudio, publice celebravit.

Collegio Spinensi a. 1918 valedicens, ministeria apostolica — secundo Novitiatu expleto — aggressus est eaque gaudenti corde atque alacri operositate in patria decem fere annos obiit, Matrity praesertim, sive missiones et exercitia spiritualia extra domum peragendo, sive domesticae praedicationis et confessionum laboribus assidue operam conferendo. Tum demum domui Valentiae a. 1927 duobus trienniis praefectus fuit ibique clavum gubernii communitatum assumpsit, quem fere usque ad mortem manu tenere debuit, intima (ut ferunt) voluntatis inclinatione repugnante.

Attamen Superioris onera et gaudia non semper in Hispania portavit. Anno etenim 1933 mare oceanum plus quam quadragenarius traiciens experientia sua domos Vice-Provinciarum ditavit tum in Columbia tum in Venezuela, ubi absque interruptione munia Superioris exercuit: Socorro (1933), Bogotá (1936), Servitá (1939), Barquisimeto (1942), Bogotá (1946), Mérida (1950). Communitati emeritensi dum praeest, argenteum superioratus iubilaeum ipsi celebrare licuit, et quidem suis plaudentibus subditis, prouti enarrat fidus chronista, itemque festivus adiungens: « Rara avis! ». In hoc autem casu avis suavem volatum nequaquam rarum diceres, utpote qui sincero communitatum affectu nutriebatur memorantium dilectum Iubilarem pro ipsis mentis et cordis thesauros ac vitae regularis atque apostolicae exempla millies effudisse. Enimvero rectoratus sarcina minime obstabat quominus ad missiones interdum exiret et speciatim exercitiis spiritualibus tradendis incumberet, sive apud religiosas familias virorum et mulierum, sive apud clerum saecularem in secessu annuo ab Ordinariis praescripto, sive apud seminaristas ante ordines sacros suscipiendos. Tunc denique, illius votis et supplicationibus obsecundantes Superiores Maiores, ipsum a gubernii curis amoverunt liberumque reddiderunt, qui sese « inter turbam innominatam » (animadvertit chronista) alacer redintegraret, Deo sic providente ad cuius aeternam refrigerii sedem non multo post advocandus erat.

Hoc vitae curriculum sanctis operibus ornatum sodalis noster minime percurrisset nisi divini Redemptoris assecclam, in schola alfonsiana apprime edoctum, ubicumque se commonstrasset. Solidam in humanis atque divinis litteris juvenilem instructionem perficere nunquam desiit, non quidem erga laetiores profanae poeseos campos deflectendo, ast gravioribus scientiae theologiae et moralis

quaestionibus incumbendo. Hinc inter magis stricta Superioris officia illud existimabat bibliothecam communem optimis disciplinarum ecclesiasticarum libris hodiernis continuo locupletandi. Si quae autem in his materiis ipsi inerat prae-dilectio, versus opera atque ephemerides convertebatur, quae nostrae Congregationis res gestas, viros illustriores, provinciarum incrementa commemorant. Nullum eius cordi conversationis iucundius obiectum quam has notitias cum sodalibus conferre. Hac de causa nemini fuit secundus in adiuvanda publicatione et propagatione biographiae alfonsianae, quam annis 1950-1951 Provincia Hispanica non sine oneroso dispendio fidenter edidit.

Quo autem efficacius hunc erga Institutum amorem in aliis progigneret, se ipsum sine fuco ac fallaciis viri apostolici exemplar praebere conatus est. Pro scopo ministerii nostri principali, conciones omni numero absolutas exarare satagit, audientium captui pervias, logica ratione intus connexas, styli venustatis alfonsianae nequaquam expertes, sua limpidissima voce e suggestu proferendas. Quod si hisce meritis distinctum oratorem haud nimis extraordinarium declarares, addas oportet intimam Spiritus unctionem, vitam religioso viro dignissimam, necnon quemdam in agendo et loquendo animi candorem, quo sibi saeculares etiam doctos ac potissimum ecclesiasticos clientes devinciebat.

Externam equidem animabus atque Instituto dedicationem alebat intensior vitae spiritualis flamma halitu pietatis alfonsianae quotidie refricata. « Integrali namque modo, non divise, subdit chronista, verus fuit Redemptorista ». Idemque prosequitur: « Spiritum interiorem ad alta semper intentum perfovit cultu quotidiano, imbribus orationis eum perfundendo, solaris radiis praesentiae divinae confovendo, nunquam remittendo in progressu spirituali, quem opportunis propositis in secessibus menstruis et annuis fulciebat omni diligentia ». Ab hac diligentia exulare nequibat tenerrima erga B. Virginem devotio inter matris ulnas supta, deinceps vero in Congregationis gremio roborata atque studiis theologis enutrita. Vel ipsius familiaribus epistolis nusquam in capite deerat saluatio: « Ave Maria ». Piam etiam consuetudinem, quae apud consodales Hispanos et Gallos viget, sese per consecrationem personalem festo Immaculatae Conceptionis quotannis Deiparae consecrandi, sartam tectamque retinuit eamque peramanter singulis sabbatis renovavit. De peculiari advocazione Matris perpetuo succurrentis quanta populo christiano verba fecit, quam multa etiam scripsit, maxime de Novendiali Perpetuo ipsi carissimo! Elenchum sat amplum eorum, qui insignes huius devotionis propagatores censendi sunt, patienter confecit et postumam meruit publicationem in periodico mensili « *El Perpetuo Socorro* » apud confratres mexicanos edito, Augusto 1955.

Dilectus confratrer postremis Superiorum designationibus domui Caracas in Venezuela tanquam Vice-Provincialis Admonitor adscriptus mansit. Etsi nondum senior, aetatis ac laborum incommoda perferre coeperat, adeo ut ob

quamdam infirmitatem chirurgi operationem subire cogeretur. Interea unus post alterum duo confratres, quibuscum diu vixerat, e vivis sublatis sunt, quasi illum de proximo in paradisum itinere admonere vellent. Monitum libenter suscipiens suam praeparationem humiliter properavit: « Ecce vocem Domini: paratum cor meum, paratum cor meum », quin tamen quotidianos in animarum salutem labores intermitteret, eo etiam quadragesimali tempore anni 1955 quo ante operationem chirurgicam in urbe Mérida apud nostros commorabatur. Attamen praeter glandulosum incommodum quidam in suis membris languor serpere coeperat, qui implacabilis « sclerosis in vasis cerebralibus » declaratus fuit, eoque ingravescente die 10 Iulii anni 1955, omnibus Ecclesiae sacramentis rite munitus, ad caelestem patriam evolavit. Huius piissimi transitus ipse praesagus in antecessum scripserat et subsignaverat declarationem sic expressam: « Iesus amor meus, Maria spes mea!. Coram Iesu et María, Sancto Patre meo Alfonso et confratribus Redemptoristis renovo dilectae Congregationi, Matri meae, consecrationem totalem quam feci votis paupertatis, castitatis et obedientiae simul cum voto perseverantiae. Mi Deus, accipe meam pauperulam oblationem. Parce mihi, salva me, Domine. In caelum ascendere volo. Maria, dulcissima Mater mea, post hoc exilium Iesum tuum mihi ostende. Ita spero. Amen ».

Funeri exequiali dilecti confratris, praeter copiosam fidelium multitudinem, aderant quattuor Ecclesiae Praesules archiepiscopali dignitate insigniti, quorum ille nobis veste alfonsiana magis propinquus, Excmus. nempe Clemens Maurer, Archiepiscopus in urbe Sucre (Bolivia), voluit praeesse caeremoniae religiosae. Ita factum est ut honores non communes deferrentur genuino Scti. Alfonsi filio, cuius memoria apud nos manet tanquam viri mitis et humilis corde ad divini Redemptoris imitationem.